

Kreis  
Steinfurt

S 199

1284 Mai 24. Burg Steinfurt.

[102]

Baldewin von Steinfurt befundet den Verkauf des Erbes Hageböck im Rpl. Borghorst, Bschft. Wilmsberge, und des Zehntens aus dem Erbe von Na (Alhmann, Rpl. Billerbed, Beerlage?) an die Kommende Steinfurt.

Nos Baldewinus nobilis, miles, dominus de Stenvorde, omnibus presentia visuris et auditoris notum facimus et presentibus firmiter protestamur, quod constituti in presentia nostra Johannes et Gerardus fratres dicti de Wlen recognoverunt, se una cum consensu domine Cristine matris eorum, Gostowe uxoris Johannis, Gerardi, Huberti et Cristine filiorum eorundem vendidisse honorabilibus viris commendatori et fratribus sacre domus hospitalis Iherosol(imitane) sancti Johannis in Stenvorde domum suam in Hagenboke cum hominibus, nemoribus, pratis, pascuis, cum quibusdam agris, qui vulgariter

dicuntur hurlant, et cum omnibus aliis suis attinenciis et decimam domus de A maiorem et minutam, quam in manus Theoderici de Ele, a quo in feodo tenebant, resignarunt pro XI marcis Monaster[iensium] denar[iorum] sibi numeratis et ex integro persolutis transferendo in predictos fratres, quicquid iuris in dictis bonis ipsis competeat vel in posterum competere posset. Promiserunt etiam dicti fratres Johannes et Gerardus, Cristina, Gostowe, Gerardus, Hubertus et Cristina dictis fratribus plenam prestare warandiam, resignantes dicta bona, domum in Hagenboke et decimam domus de A, in manus fratrum predictorum, videlicet fratris Henrici tunc prioris, fratris Henrici de Drivorde, fratris Johannis antiqui cellerarii et aliorum fratrum, perpetuo iure libere possidenda. Acta sunt hec in castro nostro Stenvorde, coram nobis datis sententiis, sicut in venditionibus fieri solet, comprobatis sententiis domino Richardo de Legden milite promulgante, presentibus domino Rotchero de Millete, domino Hermannno de Legden militibus; Winando Dancevot, Cesario de Heck, Henrico de Metele famulis et aliis quam pluribus viris probis et honestis, et quia dicti fratres sigillis caruerunt, rogaverunt nos presentia sigillare. Nos vero rogati a dilectis et fidelibus ministerialibus nostris J(ohann)e et G. sigillum nostrum ad sufficiens robur presentibus duximus apponendum. Datum incarnationis anno Domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup> octuagesimo quarto, feria quarta post ascensionem Domini.

Orig. Siegel ab. VIII. Rep. II. 1. b. 3. Nr. 5. Regest Niejert V. S. 78. Nach der Kopie im Kopiar A fol. 39 gedruckt Darpe, S. 23.